





DISSERTATIO
POLEMICA
De
Traditionibus,
Sub feliciſſimo Regimine
Magnifici Perilluſtris & Admodùm Reverendi
Domini
D. M. ANTONII
KRZĄNOWSKI,
Sacræ Theologiæ DOCTORIS & PROFESSORIS, Univerſitatis SENIORIS PATRIS, Eccleſiæ Collegiatæ Sancti FLORIANI Clepardiæ ad Cracoviam PRÆPOSITI, Contubernii Hieroſolymitani PROVISORIS, Studii Almæ Univerſitatis Gracovienſis vigilantiſſimi
RECTORIS,
Per
M. MICHAELEM MRUGACZEWSKI,
Sacræ Theologiæ PROFESSOREM, COLLEGAM MAJOREM, CANCELLARIUM Siradienſem, Collegiatæ Sancti FLORIANI CANONICUM.
Pro obtinenda in Sacra Theologia Doctoratûs Licentia
publicè ad Diſputándum
In Lectorio CC. DD. Theologorum
Annô Domini 1775. Die 12. Octobris.
PROPOSITA.

Typis Collegii Majoris Univerſitatis Cracovienſis.

QUÆSTIO.

U. Traditiones ſeu Verbum Dei non ſcriptum, quæ in omni Eccleſiæ Statu obtinuerunt, habentq; eandem cum Scriptura Sacra authoritatem, ac ad eruendum verum nec non genuinum ejus ſenſum inſerviunt, neceſſariò ſint in Eccleſia admittendæ tanquam regula Fidei & morum, necne?

CONCLUSIO I,

Traditiones, quæ ſunt Verbum Dei non ſcriptum, in omni Eccleſiæ Statu obtinuerunt.

Traditio aliam habet ſignificationem in Jure Civili, aliam in Scripturis ac Jure Canonico. In Jure Civili eſt modus acquirendi in res Dominii, definiturq; quòd ſit rei ſuæ in alium quòad dominium translatio. Nam juxta vulgatam regulam: *Traditionibus non nudis pactis transferuntur rerum dominia.* ac denotat ſolam tradendi actionem; In Scripturis autem non ſolùm tradendi actionem importat, ſed inſuper, & quidem præcipuè id, quod traditum eſt; nempe doctrinam vel dogma aliquod, quod ab uno traditum eſt alteri. Et quoniam doctrina vel dogma poteſt æquè tradi ſcripto aut voce, hinc eſt quòd Traditio ſumatur aliquando latè, aliquando ſtrictè. Latè ſumpta Traditio nihil aliud eſt, quàm *Doctrina ſive ſcripta, ſive non ſcripta ab uno alteri communicata*: Sic lex antiqua à Domino in monte Sinai Moyſi tradita, à Moyſe deinde Joſue, à Joſue Senioribus, à Senioribus Prophetis, à Prophetis deinceps magnæ Synagogæ viris communicata. Traditio latè ſumpta vocatur juxta illud *Exodi Cap*: 17. à Domino Moyſi dictum: *Scribe hoc ob monimentum in libro & trade auribus Joſue.* Strictè verò ac Theologicè ſpe-

ctata, quæq; ideò Sacra nuncupatur Traditio, & de qua sola hìc agitur, nihil aliud est, quàm *Fidei & morum doctrina non scripta, sed viva voce quasi de aure in aurem successivè tradita.* cujusmodi est, quâ credimus varia fidei dogmata, quamvis nullibi saltem satis clarè in Scripturis expressa, ùt illa *v. g.* qua B. Mariam Deiparam etiam post partum Virginem credimus; item ea, qua parvulos ante usum rationis baptizandos esse tenemus, qualis etiam est illa, de qua S. Chrysostomus Hom: 4 in 2, ad Thessal: ait: *Traditio est nihil quaras amplius.* Quales deniq; & illæ, quas Thessalonicensibus commendat Apostolus *2da,* ad Thessal: *Cap: 2do. Tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem sive per Epistolam nostram.* Ejusmodi doctrina quæ per Traditiones ab Apostolis & Sanctis Patribus ad nos quasi per manus sine scripto pervenerat; à Canonistis ad jus non scriptum refertur, differtq; à consuetudine, quòd consuetudo in usu tantùm consistat. Traditio hoc modo nempè pressiùs sumpta, alia Divina, alia humana, illa Deum authorem, hæc homines habet. Porrò Traditiones Divinæ aliæ sunt *Legis Naturæ,* aliæ *Mosaicæ,* aliæ *Legis Evangelicæ*: Primi generis sunt, quas homines, qui ante legem scriptam vixerunt, à Deo per Adamum, per Nóé, per Abrahamum aliósqué Patriarchas acceperunt; Alterius generis quæ per Moysen aliosq; Prophetas, neq; in Veteri Testa-

mento

mento ſcriptæ inveniuntur. Tertii generis ſunt illæ, quas vel de ipſo Chriſti Domini ore, vel Spiritu S. revelante ac ſpecialiter loquente acceperunt Apoſtoli, nec ſcriptas reliquerunt. Porro Traditiones humanæ aliæ ſunt mixtæ, ſeu partim Divinæ, partim humanæ, aliæ verò ſimpliciter ac merè humanæ: Prioris generis ſunt, quæ Deum quidem authorem habent, non tamen dictantem aut propriè loquentem, ſed duntaxat illuminantem atq; inſpirantem, imò & ſpecialiter gubernantem, cujusmodi ſunt multa vel uſu, vel verbô ſancita ab Apoſtolis, & ſubinde ab Eccleſia, nec à quibus ſancita, ab iiſdem ſcripto firmata. Quorum prima Traditiones duntaxat Apoſtolicæ; altera duntaxat Eccleſiaſticæ, non etiam Divinæ propriè dicuntur. Secundi generis Traditiones vel nullomodo Deum authorem habent, vel non eo ſpeciali modo, de quo proximè dictum eſt. Hujuſmodi erant Traditiones Phariſaicæ ita nuncupatæ, vel quòd à Phariſæis excogitatæ ac legi ſuperadditæ eſſent, vel ab iis plurimùm commendatæ. Præſens Concluſio procedit de Traditionibus potiſſimùm Divinis, quas enunciat in omni Eccleſiæ ſtatu, videlicet: tam in ſtatu Legis Naturæ, quàm Moſaicæ nec non Evangelicæ locum habuiſſe & habere.

In Statu Legis Naturæ quòd Eccleſia ſolis Traditionibûs ſeu unico Verbo Dei non ſcripto ſteterit, nullus hìc eſt relictus dubitationi locus: nam

ab Adamo usq; ad Moysen per duo ferè millia annorum nulla lex scripta extitit. Qua ergo quæso ratione Sancti illi viri Adam, Abel, Seth, Enos, Nòé, Abraham, Isaac, Jacob & alii plurimi cultum Dei, Sacrificiorum ritus, & Religionis mysteria moderabantur atq; interpretabantur? Unde de Mundi creatione, de Messiæ adventu, de remedio peccati originalis, de futura vita cognitionem hauriebant? non ex verbo Dei sctipto, quod nullum extàbat; igitur ex verbo de ore in os, de aure in aurem tradito. Enimverò in lege Naturæ fuerunt homines justi, quales erant supra recensiti Adam, Abel & alii, fuerat ergo & fides, cùm *justus ex Fide vivit, & sine fide impossibile est placere Deo: teste Apostolo ad Hebr: Cap: 10. v. 18 & Cap: 11. v.* 6. Consequenter fuerunt aliquæ revelationes, quæ non fuerunt ab aliquo Sacro authore scriptæ, sed tantùm viva voce traditæ, & conservatæ. Unde Deus Adamo multa revelavit ante ejus lapsum, ùt existentiam suam, mysterium Sanctissimæ Trinitatis, immortalitatem animæ, supplicium æternum impiis, & justis æternam beatitudinem in altera vita præparatam. Item post ejus lapsum ei revelavit venturum Messiam Deum & hominem, ac remedium parvulis adhibendum ad delendum peccatum originale, item plura alia circa cultum Dei externum. Hæc autem omnia Adamus non scriptô, sed viva voce tradidit Filiis suis, qui & ea

posteros

posteros suos viva similiter voce docuérunt. Plura etiam procul dubio revelavit Setho, Enos, Enocho, Nòémo, & Abrahamo, qui ea non calamô, sed ore posteris suis tradiderunt. Igitur in Statu legis Naturæ sola Traditione seu verbo Dei non scripto stabat ac regebatur fidelium Ecclesia.

In Statu quoq; Legis scriptæ seu Mosaicæ estò Ecclesia illa per duo quoq; annorum millia, à Moyse videlicet ad Christum, usque habuerit Scriptutas jussu Dei *Exodi 17. Scribe hoc ob monimentum in libro &c*: per Moysen exaratas, sola tamen Traditio fuit de remedio peccati originalis pro fæminis, de divinitate librorum Canonicorum. Sine Verbo Dei non scripto pariter ignorâssent, quòd cruenta ipsorum Sacrificia significaverint mortem Christi, & propter hanc significationem conduxerint ad remittenda eorum peccata, nimirum ex virtute illius, cujus mortem & passionem significabant ejus modi Sacrificia. Et hæ Traditiones fuerunt præcipuæ: atq; scitu (si non omnibus saltem Sacerdotibus & Doctoribus) necessariæ.

Deinde multa alia credebant Judæi fide Divina, quorum tamen in Veteri Testamento nulla fit expressa mentio, ùt sunt animæ immortalitas, resurrectio mortuorum in fine mundi, pæna temporaria in altera vita pro peccatis remissis debita, idq; propter revelationem Divinam, adeoq; propter Traditionem. Propterea Deuteron: 32do.

dicitur:

dicitur: *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, Majores tuos & dicent tibi.* Psalm: 43. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis, quòd operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis.* Psalm: 77. *Quæ præcepit Patribus nostris, ut nota facerent filiis suis.* Eccles. 8 *Non te prætereat narratio Seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.* Isai 38. *Pater Filiis notam faciet veritatem tuam.* Jerem: cap: 6. *State super vias & interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona & ambulate in ea.* Quibus in locis non mittuntur Filii ad Scripturas, ut cognoscant, quæ Deus ipsis fecerat, sed quidem ad Patres, ut per eos erudiantur. Moyses qui locô citatô populum alloquitur & qui Sacram Historiam scripserat, David qui laudatis Psalmis populum alliciebat (idem de aliis dicendum) ad audiendam legem, cur hortabantur audire legem, & mirabilia Dei, non potius ea in Scripturis legere? Hoc planè signum Hebræos etiam in lege scripta non hæsisse unicè in Scripturis, sed in Traditionibus etiam majorum, et tam istæ quàm illæ ejusdem ponderis habitæ sunt. Imò verisimiliùs est Hebræos Traditione magìs, quàm Scripturìs mores suos instituisse, nam ante Esdræ tempora Scripturæ Sacræ aderant, non ad eam tamen formam, quo commodè haberi possent, cum in varias paginas dispersæ essent, ut non ita

facilè

facilè omnes colligi poſſent, Eſdras primus poſt captivitatem libros Sacros in unum volumen collegit. Valde igitur probabile eſt, quòd anteà defectui Scripturæ ſuccurreret majorum Traditio, quaſi non eſſent Scripturæ. Opinio etiam ex Proteſtantibus melioris notæ Munſteri *Gramat*: pag: 17. Druſii Lib: *de recta pronunt: Linguæ Sacræ Cap*: 4*to*. Ludov: Capelli de *punctationis arcano revelato*, Valtonis Prolegom: 3. in Biblia Poliglotta teſte, Emin: Gotti. quòd uſus ſcribendi Vocalia puncta, introductus fuerit à Maſſoretis Tiberiadis, ante iſtos verò nullis vocalibûs ſcribere Hebræos conſueviſſe, quo fiebat, eandem dictionem ſcripto duplicem ſignificationem pati potuiſſe, eandemq; propoſitionem ſenſum duplicem. Cùm ergo hac ex ratione verbum ſcriptum fuerat ambiguum, non aliunde veteres Doctores legis interpretabantur veram ſignificationem & legitimum ſenſum à Deo intentum, niſi ex Traditione, quæ à Moyſe Legislatore & primo Scriptore in aures accepta, & ab illo in ſucceſſores remeata, regula erat certæ intelligentiæ. Sic Origenes Tom: 6. in Joan: & poſt illum Hilarius enarrat: in Pſalm: 2. *Idem Moyſes quamvis Veteris Teſtamenti Verba in literis condidiſſet, tamen ſeparatim quædam ex occultis legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta Senioribus qui Doctores deinceps manerent, intimaverat*. Cujus doctrinæ etiam Dominus in Evangelio meminit, *ſuper Cathedra*

dra Moysis (inquit:) *sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite, secundùm verò opera eorum nolite facere. Doctrina ergo horum in posterum quæ ab ipso Scriptore legis est accepta, in hoc Seniorum & numero & officio servata est. Hi itaque Seniores Libros hos transferentes & spiritualem secundùm Moysis Traditionem, occultarum cognitionum scientiam, ambigua linguæ Hebraicæ dicta, & varia quædam ex se nuntiantia secundùm virtutes rerum certis & propriis verborum significationibûs transtulerunt doctrinæ scientiâ multimodam illam sermonum intelligentiam temperantes. Et ex eo fit, qui posteà transtulerunt diversis modis interpretantes, magnum Gentibus adtulerint errorem, dum occultæ illius & à Moyse profectæ Traditionis ignari, incerti suis ipsis judiciis ediderunt.* Porrò etiam nunc communis est Judæorum sententia, duplicem in monte Sinai legem traditam Moysi fuisse *Scriptam* unam, *Oralem* alteram, & hanc posteriorem à Moyse ad Josue, à Josue perenni successione ad posteros manâsse.

In Statu Legis Evangelicæ non solùm stante prædicatione, & conversatione in terris Christi non solùm post ascensionem ejus in Cælum, antequam Apostoli & Evangelistæ aliquid scriberent, stetit Ecclesia & fides Christi solis Traditionibûs, quoniam Christus Redemptor noster nullam scriptam legem mundo dedit, sed quæ à Patre didicit, mundo

enarravit,

enarravit, non tabulis lapideis aut membranis, ſed cordium chartis ſuum conſignavit Evangelium, ſola ſua voce inſtructos Apoſtolos, per univerſum mundum prædicare legem ſuam miſit: ſed etiam eo temporis intervallo, quo necdum canon Scripturarum Novi Fæderis fuerat completus: non enim omnes libri Sacri Novi Teſtamenti ſimul ſunt conſcripti, ſed diverſis temporibûs. Extante igitur ſolo Evangeliô Matthæi vel etiam Marci, cùm adhuc Evangelium Joannis ſcriptum non eſſet, multa debebant ad fidem neceſſaria præſertim circa Divinitatem Chriſti per vivam ſolùm vocem tradi. Præterea etiam cùm omnes libri Canonici ſcripti extiterunt, non pervenerunt ſimul omnes ad quemlibet illum locum, ubi Apoſtoli docuerunt, præſertim cùm prædicaverint hanc legem Andreas, Thomas, Bartholomæus, Philippus, quin aliquid ſcriptis conſignaverint. Unde Melchior Canus Lib: 3. Loc: Theolog: Cap: 3. Conſtat igitur Doctrinæ fidei jam vulgatæ ſcriptionem Evangeliorum acceſſiſſe, non præceſſiſſe. Conſtat item Chriſtianam Eccleſiam & Religionem non literis primùm, ſed Traditione ſubſtitiſſe, conſtat rurſus Fidei doctrinam in Eccleſia primitiva non à Scripturis habuiſſe authoritatem, ſed contra Scripturas à Traditione. Conſtat deniq; aliquando in Eccleſia Chriſti fuiſſe Catholica Dogmata, quæ Sacris nullis literis continerentur.

COROLLARIUM I.

Completo etiam Canone Scripturarum in Nova Lege, ſunt quædam in Eccleſia dogmata, quæ ex ſola Traditione creduntur.

Quoniam verba Apoſtoli 2. ad Theſſal: cap: 2. quibûs Paulus hortatur Theſſalonicenſes, ut ſtent in Fide, adhæreantq; iis, quæ ab ipſo acceperant ſive ſcripto, ſive ore tenus inquiens: *Tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per Sermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* reſtringunt adverſarii ad illud tempus, quô fideles nondum habebant integras Scripturas, itaq; contra eoſdem in præſenti dicimus, quòd poſt completum etiam S. Scripturæ Canonem ſuperſint multa fide Divina credenda, quæ & ipſi nobiscum credunt, quæ in Scripturis non habentur, ſed per ſolam Traditionem. Credunt enim nobiscum & neceſſariò credenda eſſe exiſtimant, *1mò.* tres in Divinitate Perſonas contra Sabellianos. *2dò* credunt Divinitatem Chriſti & æqualitatem cum Patre contra Arrianos. *3tiò.* Proceſſionem Spiritûs S. à Patre & Filio contra Macedonianos. *4tò.* Unam Perſonam in Chriſto contra Neſtorianos. *5tò.* Duas naturas in eodem Chriſto Divinam & humanam ſine transfuſione contra Eutychianos. *6tò* perpetuam virginitatem B. V. Mariæ contra Helvidium.

Verum

Verùm hæc & ſimilia clarè, particulatim & diſtinctè non ſunt expreſſa in Verbo Dei ſcripto ſeu in Scriptura, ex qua nullus in hanc rem clarus textus afferri poteſt. Imò neq; clarè & per pronam conſequentiam, prædicta poſſunt deduci ex Scriptura. Si enim adducatur Textus Scripturæ, ex quo contra Sabellianos clarè inferatur Trinitas Perſonarum in Divinis & Naturæ unitas, cujuſmodi Deum unum & trinum Sabelliani dicunt chymericum, tunc adducetur potiſſimùm ex 1. Joan: cap: 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.* clarior enim textus in tota Scriptura pro myſterio Trinitatis non reperitur. At imprimis iſte textus à Luthero in ſuis Bibliis expunctus & exploſus eſt, & pro Verbo Dei non agnitus. Deinde excipient Sabelliani. *1mò.* Tres quidem eſſe, non tamen realiter, ſed ratione tantùm noſtra diſtinctos, & tantùm diverſa nomina ejuſdem rei propter diversas operationes. Sicuti anima rationalis propter diverſas operationes ſortitur diverſa nomina, & intellectus & voluntas & memoria nuncupatur, quæ tamen tres potentiæ ſecundùm id, quod important in recto, juxta multorum Philoſophiam, non diſtingvuntur inter ſe realiter, ſed tantùm ratione noſtra· ſeu ſecundùm noſtrum concipiendi modum. *2dò.* Excipient ſi hi tres unum ſunt unitate & identitate reali in natura, neceſſariò ſunt

etiam unum in Personis: est enim imperceptibile, quòd eadem res identificetur cum tribus realiter distinctis, quippe quæcunq; sunt, eadem uni tertio, sunt eadem inter se. *3tiò.* Si tres sunt Personæ, tres pariter erunt Naturæ Divinæ, sicut à posteriori nobis patet, ubi tres sunt personæ humanæ, ibi etiam tres esse naturas humanas realiter distinctas, & tamen possunt esse unum unitate morali, per consensionem voluntatum. *4tò.* rcponent: S. Joannes citato textui mox subjungit sequenti versu 8vo hæc verba: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra: Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt.* Unde sicut hinc non infertur Spiritum, aquam & sanguinem esse unum unitate reali naturæ, sic neq; inferri debet de Patre, Filio, & Spiritu S. Non desunt Sabellianis plures aliæ exceptiones, quas opponere possunt, ut adeò neq; per planam & pronam consequentiam ex Sacris Scripturis (sine authoritate & Traditione Ecclesiæ) deduci possit mysterium Sanctissimæ Trinitatis, qui tamen articulus etiam apud adversarios præcipuus est, & fundamentalis. Idem possunt facere alii hæretici contra alios supra citatos articulos nempe Arriani contra Divinitatem & æqualitatem Christi cum Patre, Macedoniani contra Divinitatem & processionem Spiritus Sancti à Patre & Filio &c: nec ex sola Scriptura erroris convinci poterunt, sine subsidio Traditionis. Hìs armìs prostrati sunt ejusmodi hostes,

ſtes, orthodoxæ fidei, nempe redivivus in PauloSa-moſateno Sabellius in Concilio Antiocheno ſub Dionyſio annô 266. Arrius in Concilio Nicæno I. ſub Sylveſtro annô 325. Macedonius in Concilio Conſtantinopolitano I. ſub Damaſo an: 381. Neſtorius in Conc: Epheſino I. ſub Cæleſtino I. A. 431. Eutyches in Conc: Chalcedonenſi ſub Leone I. A. 451. De perpetua virginitate B. V. Mariæ, S. Auguſtinus Tom: 3tio de Eccleſiaſt. Dogmat: ſic loquitur: *Integra fide credendum eſt, B. Mariam Dei Chriſti Matrem & Virginem concepiſſe, & Virginem genuiſſe & poſt partum Virginem permanſiſſe, nec eſt blasphemiæ Helvidii acquieſcendum, qui dixit: fuit Virgo ante partum, non Virgo poſt partum.* At ſepoſita Traditione, nullo modo poſſet hæreſeos convinci ex ſola Scriptura, is, qui perpetuam Virginitatem Dei Genitricis negaret. Dicunt quidem aliqui eandem probari ex Iſai: 7. Math: 1. & Lucæ 1. Verùm ex illis locis ſi nihil aliud accedat, & ſi illud evinci poſſit, quòd B. virgo Chriſtum & virgo conceperit, & Virgo genuerit, an tamen alios etiam poſt Chriſtum Filios habuerit, via naturali, necne? demonſtrari ex Scripturis ullatenus nequit. Sunt ergo multa fide Divina credenda, in Scriptura non contenta, quæ per ſolam Traditionem creduntur Divinam.

COROL-

COROLLARIUM II.

Præter Traditiones Divinas dantur quoque in Ecclesia Traditiones Apostolicæ.

Apostoli in suo munere dupliciter spectari possunt, vel ùt Præcones eorum, quæ à Christo audierunt, vel ùt Ecclesiæ Pastores, qui propria authoritate nonnulla fidelibus regendis utilia sanxerunt. Quæ ùt Verbi Dei Præcones tradiderunt, ea sunt Traditionis Divinæ; quæ verò ordinaverunt tanquam Ecclesiæ Pastores, censentur Traditionis Apostolicæ. Utrumq; hoc Apostolicum munus clarè distinguit S. Paulus 1, ad Cor: cap: 7. ait enim v. 10. *Præcipio non ego sed Dominus uxorem à viro non discedere.* Et ibidem paulò inferius v. 12. *Nam cæteris ego dico non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem &c.* priori loco tradit, quod à Domino acceperat, posteriori verò quod magìs congruum judicat. Quod quamvis ab Apostolo scriptum sit, argumentum est tamen aliorum, quæ eodem jure & potestate viva voce vel facto ipso atq; usu non scripto tradidit, cujusmodi sunt illa, de quibus 1. ad Cor: 11. v. 34. *Cætera, cùm venero, disponam.* Similiter illa Epist: 2. Joan: v. 12. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum, spero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui, ut gaudium vestrum plenum sit.* Et 3. Joan:

V. 13.

v. 13. & 14. *Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum, & calamum, spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur.* Quò pariter spectat illud ad Philip: 3. v. 17. *Observate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Accedit ratio tum à priori, ùt loquuntur, quia certum est Apostolis à Christo Domino collatam fuisse facultatem & potestatem docendi, ferendi leges, ritus ac cæremonias stabiliendi & similium. Numquid ergo hac potestate & facultate non usi? vel usi scriptô semper, nunquam verbo tantùm? cùm occupatissimi essent in Evangelii promulgatione, cùm pax & fides Ecclesiæ prioribûs sæculìs vix ulla fuerit, cùm res ejusmodi essent, quas celatos Ethnicos vellent, neq; chartis mandari. Tum à posteriori: quia multa sunt, quæ videntur originem suam non altiùs repetere, quàm ab Apostolis, ùt Quadragesimæ jejunii, & quatuor Temporum institutio, celebratio Paschatis die Dominico &c. Constat itaq; ex dictis præter Traditiones Apostolico-Divinas, dari quoq; purè Apostolicas.

COROLLARIUM III.

Traditiones Apostolicæ quædam sunt de dogmatibus fidei, quædam de moribus & ritibus externis.

Prima pars ejusmodi probatur ratione: Tria sunt principia fidei maximè necessaria, quæ non ha-

bentur ex Scripturis. 1mum est, quòd tota Scriptura Veteris & Novi Testamenti simul sumpta sit Verbum Dei. 2dum quòd tota illa Scriptura præsertim in iis quæ ad fidem & salutem necessaria sunt, maneat nobis salva & incorrupta. 3tium quòd habeamus verum ac genuinum illius sensum. Si ergo admittimus hæc fidei principia, necessariò admittimus Traditionem, per quam illa accepimus, alioquin destituta certitudine circa proposita principia vana esset fides nostra. Præter hæc tria sunt insuper alia, quæ per Traditionem Apostolicam habentur. Imprimis quòd Symbolum Fidei sit verè Apostolicum, de quo S. Basilius lib: de Spiritu S. cap: 27. ait: *Omitto cætera, ipsius fidei professionem, qua credimus in Patrem, Filium & Spiritum S. e quibus Scripturis habemus?* quasi dicat: non habemus ex Scripturis, sed ex Traditione. Hoc enim conatur probare multa esse dogmata, quæ credimus, non quia scripta sunt, sed quia tradita. Deinde quòd infantes sint baptizandi, Origenes in cap: 6. Epist: ad Rom: *Ecclesia ab Apostolis Traditionem accepit, etiam parvulis dare Baptismum.* Et S. Augustinus lib: 10. de Gen: ad literam cap: 23. *Consuetudo Sanctæ Matris Ecclesiæ in baptizandis parvulis nequaquam spernenda est, neq; ullomodo superflua reputanda, nec omninò credenda, nisi Apostolica esset Traditio.* Item: quòd baptizati ab hæreticis, non sint rebaptizandi, S. August: lib: 2. de Bapt: contra Donat:

Donat, cap: 7. *Quam consuetudinem* scilicet non repetendi Baptismum, *credo ex Apostolica Traditione venientem.* Item: quòd in Baptismo pronuntiari debeat hæc forma: *Ego te baptizo in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti,* & nisi pronuntietur, Baptismus non sit validus. Hoc etiam admittunt adversarii, nec tamen áliunde, quàm ex Traditione. Sunt & plura alia, sed hæc sufficiant pro prima parte.

Secunda pars variîs confirmatur exemplîs, nam multi sunt ritus in Ecclesia, qui ab Apostolis per solam Traditionem sunt accepti. Ac potissimùm hi: Exorcismus & aliæ cærimoniæ in Baptismo de quibus *Tertullianus lib: de Corona militis cap: 3. & S. Basilius lib: de Spiritu S. cap: 27.* Ut trina mersio fiat in Baptismo. Idem S. Basilius loc: cit: Ut Chrisma singulîs annîs renovetur. *Fabianus Papa & Martyr Epist: 2. ad Episcopos Orientis.* Ut aqua misceatur vino in calice Eucharistico. *S. Cyprianus lib 2 Ep: 3.* Ut Eucharistia sumatur à jejunis. *S. August: Epist: 118.* Ut in Sacrificio Missæ oretur pro defunctis. *Tertullianus locô supra citatô.* Ut signum Crucis formetur in fronte: ut ad Orientem, versi precemur. Ut aqua benedicatur. Hæc S. Basilius loco supra memoratò. De his & similibus rectè usurpatur, quod Tertullianus supra citato cap: 4. ait: *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum nullam invenies. Traditio tibi prætenditur*

auctrix, consvetudo confirmatrix & Fides observatrix.

COROLLARIUM IV.

Apoſtoli nec eadem omnes, nec eadem omnibus & ubiq; tradiderunt: hinc profectæ ſunt diverſæ diverſarum Eccleſiarum conſuetudines.

Ex Traditione namq; Apoſtolica jejunabatur in Occidentalibus Eccleſiis Sabbatho, in Orientalibus verò non jejunabatur, de qua non jejunandi conſuetudine ſic loquitur S. Ignatius Martyr Apoſtolorum coævus in Epiſtola ad Philadelph: *Si quis jejunaverit Sabbatho, præterquam uno ſolo, interfector Domini eſt.* Locus ſanè difficilis: exiſtimat Baronius ad annum Chriſti 57. prohibitum tam graviter in Oriente jejunium Sabbati, ne foveretur error tunc temporis graſſantium hæreſeon: Simonis Magi, Baſilidis, Cerinthi, Marcionis & aliorum Sabbato jejunantium in odium Dei Creatoris, cujus quietem honorare nolebant; in occidente verò nihil tale contra ejuſmodi jejunium pugnabat. Probabilis eſt hac in re aliorum conjectura Judæis nimirum querulantibus legem Moyſis omninò aboleri tanquam malam, nullamq; illius memoriam retineri, datum fuiſſe ut aliqua Sabbato relinqueretur celebritas exclusô inde jejuniô. Ejuſmodi

verò

verò particulares Ecclesiarum consuetudines servandæ sunt juxta illam S. Ambrosii sententiam, quam refert S. August: Epist: 118. ad Januarium. *Cùm Romam venio jejuno Sabbato, cùm hic sum* (id est Mediolani) *non jejuno.* & subdit S. Augustinus ibidem: Non enim disciplina ulla melior in his gravi prudentiq; Christiano, quàm ut eô modô agat, quô agere viderit Ecclesiam, ad quam fortè devenerit; quod enim neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro societate eorum, inter quos vivitur, servandum est.

COROLLARIUM V.

Præter supra dictas Tradiriones, quæ ab Apostolis ad nos usq; pervenerunt, sunt aliæ quædam Ecclesiasticæ.

Traditionis Ecclesiasticæ nomine propriè intelligitur illa quæ nec à Christo, nec ab Apostolis sed post Christi in Cælos ascensionem, & post Apostolorum ex hac vita discessum; est ab Ecclesiæ Prælatis & Pastoribus & populis introducta, & tandem per modum legis, vel per modum consvetudinis tacito sibi succedentis populi consensu & vsu recepta, & ad nos usq; delata. Hujus generis Traditiones sunt. *Solemnitas & observatio Festorum,* abstinentia à carnibus, ovis, lacticiniis certis anni diebûs, pia & laudabilis Crucis formandæ

consuetudo. Pius aquâ benedictâ aspergendi mos, antiquus candelarum, cinerum, palmarum & similium benedictionis usus. De utrisq; nempe: tam Apostolicis, quàm Ecclesiasticis Traditionibus loquitur S. August: Epist: 118. cùm ait: *Illa autem quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis vel à plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata atq; statuta retineri, sicut Domini passio & resurrectio & ascensio in Cælum anniversaria solemnitate celebrantur, & si quid tale occurrit, quod servatur ab universa, quacunq; se diffundit Ecclesia.* Nam per illam particulam: *vel ab ipsis Apostolis* intelligit S. Doctor Traditiones Apostolicas, per hanc verò: vel *plenariis Conciliis* intelligit Ecclesiasticas. Idem pro priori docuit S. Basilius lib: de Spiritu S. cap: 27. *Ecclesiasticarum institutionum quasdam in scriptis, quasdam in Apostolica Traditione per Successores in ministerio confirmatas accepimus, quasdam verò consvetudine toleratas usus aprrobavit.* Et hinc patet purum putumq; esse mendacium Calvini, qui lib: 4tô Instit: cap: 8. § 19. inquit: *Romanenses Magistri extorquere volunt, ut nulla sit apud eos cæremoniola quæ non pro Apostolica censeatur,* admittimus enim ùt liquet ex dictis duplices Traditiones. alteras ab Apostolis acceptas, alteras post tempora Apostolorum à Prælatis Ecclesiæ introductas, illas dicimus Apostolicas, has verò propriè Ecclesiasticas nuncupamus.

CONCLUSIO II.

Traditiones Divinæ eandem cum Scriptura Divina auctoritatem habent.

Calumnia quorundam adversariorum (qui dicunt Catholicos pluris æstimare Traditiones, quàm verbum Dei scriptum) in præsenti refellitur. Cùm enim Traditiones non cujusvis generis, sed duntaxat Divinas authoritatis ejusdem, cujus est Sacra Scriptura, nempe Divinæ censemus, dici nequit, quod præferamus. Fundamentum assertionis hujus desumitur ex illis S. Scripturæ sententiis, quibûs Divina Traditionum Christi & Apostolorum authoritas, non secùs ac ipsius Scripturæ commendatur. Apostolus profectò quando hisce verbis Thessalonicenses alloquitur: 2. ad Thess: 2. *State & tenete Traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Eandem rationem habet Traditionum, ac Scripturæ seu Epistolæ suæ, cùm ergo Epistola S. Pauli sit authoritatis Divinæ, qualem ipsi adversarii recognoscunt; etiam ea, quæ solo sermone ab Apostolo prolata sunt, ejusdem authoritatis esse, censeriq; debent, nempe Divinæ. Idem quoq; Apostolus Timotheum hortatur hîs verbîs: 2. ad Timoth: cap: 1. *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide & in dilectione in Christo Jesu bonum depositum custodi.* Item ibidem cap: 2. *Quæ audisti à me per multos testes,*

hæc

hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Certum est hic loqui Apostolum de verbis Dei non scriptis, seu vivæ vocis Traditione, prout etiam hunc locum exponunt Chrysostomus & Theophylactus, non verò de verbis à se scriptis, nam inquit: *Quæ à me audisti,* non *quæ scripsi tibi.* Et quoniam hæc sua verba non scripta seu traditionem suam prorsus eadem commendat ratione ac ipsam Scripturam Sacram, signum est illas ejusdem manere authoritatis. Idem eruitur ex 1. Joan: 2. v. 24. Ubi Apostolus Joannes fideles omnes ad quos scribit, hisce verbis alloquitur. *Vos quod audistis ab initio, in vobis permaneat: si in vobis permanserit ab initio quod audistis, & vos in Filio & Patre manebitis:* Non enim ait: *Quod legistis sed quod audistis.* Concilia quoq; inferius alleganda. Constantinopolitanum II. & III. Nicænum II. Constantinopolitanum IV. &c. æquè ac Sacram Scripturam velut fidei regulas suscipiendas esse definiunt, atq; omnes illos qui eas contempserint, anathemate percellunt. Sancti quoq; Patres in eandem conspirant veritatem. S. Irenæus lib: 3, cap: 4, *Quid autem, si neq; Apostoli Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? cui ordinationi assentiunt multæ Gentes barbarorum illorum, qui in Christum credunt sine charactere vel atramento scriptam habentes per Spiritum Sanctum in cordibus suis salutem &,*

veterem

veterem Traditionem diligenter custodientes. S. quoq; Basilius lib: de Spiritu S. cap: 27. ait: *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina scriptô prodita, quædam rursus ex Apostolorum Traditione in mysterio, idest in occulto tradita accepimus, quorum utraq; parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, qui sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiæ.* Idem sentiunt cum Patribus Græcis Latini: Tertullianus libr: de corona militis cap: 3. *Etiam in Traditionis obtentu exigenda inquis authoritas scripta. Ergo quæramus an & Traditio non scripta non debeat recipi? planè negabimus recipiendam, si nulla exempla præjudicent, aliarum observationum, quas sine illius Scripturæ instrumento, solius Traditionis titulo, exinde consvetudinis patrocinio vindicemus.* Sanctus item August: lib: 2. de Bapt: cap: 7. ait: *Multa non inveniuntur in literis eorum* (*Apostolorum* nempe) *& tamen quia custodiuntur, sicut & cætera quæ ibi sunt, per universam Ecclesiam, rectè ab Apostolis tradita creduntur.* Constat itaq; ex SS. Patribus ejusdem authoritatis esse Traditiones, cujus authoritatis sunt Scripturæ. Suffragatur assertioni huic & ratio Theologica. Traditiones enim Divinæ non minùs sunt verbum Dei quàm Scriptura, cum fuerint partim ore tenus à Christo, partim à Spiritu Sancto Apostolis transmissæ; eandem ergo debent habere authoritatem, quam habet Scriptura. Verbum enim Dei sive scriptum sit, sive

non

non, æqualem ſemper habet authoritatem. Scriptura namq; Sacra non exinde ſuam deſumit authoritatem, quòd ſcripta ſit, ſed quòd ſit verbum Dei non ab atramento, ſed ab ore Dei. Cæleſtes quippe veritates non ideo ſunt certæ & indubiæ veritatis quia ſunt literis ſcriptisq; concinnatæ, ſed quia ſunt à Veritate prima inſpiratæ, hominibusq; traditæ, ſive autem ſcriptîs, ſive verbô perinde eſt. Præterea multa de Fide abſolutè credimus, quæ non ex Sacra Scriptura, ſed ex ſola Traditione habemus, prout ſupra in Corol: I. Concl: I. demonſtratum eſt. credimusq; eadem fide, nempe Divina, quâ credimus & ea, quæ in Sacris Scripturis ſunt expreſſa.

COROLLARIUM I.

Traditio Divina eadem fide ab omnibus excipienda eſt, ac ipſum verbum Dei ſcriptum.

Cùm verbum Dei traditum eandem authoritatem habeat, quâ pollet verbum Dei ſcriptum, ùt ex dictis in Concluſione conſtat, eadem quoq; fide credi debent myſteria à Chriſto per Apoſtolos ore tenus tradita, quæ creduntur à fidelibus in Scripturis exarata. Verbum enim quoq; modo illud habeatur, ſive ſcriptô, ſive voce prolatum, veræ fidei regula agnoſci debet, ùt docet Tertulianus lib: de Præſcriptionibus cap: 37. ubi ait: *Illis veritatem adjudicat,*

adjudicat, quicunq; in ea regula incedunt, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo accepit. Divus quoq; Hieronymus adversùs Luciferianos cap: 4. *Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius Orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret, nam & multa alia quæ per Traditionem in Ecclesiis observantur, authoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Quibus consentit S. August: Epist: 80. ad Casulanum inquiens: *In his rebus, de quibus nihil certò statuit Scriptura, mos populi, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.* Deniq; id decernit Nicæna Synodus II. Act: 7. hîs verbîs: *Fatemur unanimes, nos Ecclesiasticas Traditiones sive scripto, sive consvetudine valentes & decretas retinere velle.* Et paucîs verbîs interjectîs, subjungit: *Si quis Traditionem Ecclesiæ scripto sive consvetudine valentem non curaverit, anathema sit.*

COROLLARIUM II.

Traditiones purè Apostolicæ & Ecclesiasticæ quamvis non habeant, ùt de se patet, parem cum Traditione Divina authoritatem, nihilominus sunt observandæ, si sint universales.

Communis hæc doctrina Catholicorum est, patetq; ex Concilio Coloniensi II. part: 9. cap: 1. & ex Can: *Si quis omnem 2. Causa 1. quæst: 7.*

 Unde

Unde S, Augustinus Epist: 118. loquens de his Traditionibus expressè docet: *Si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentißima insania est.* Imò ejusmodi Traditionum Apostolicarum & Ecclesiasticarum violatores anathemate feriuntur citato Can: *Si quis omnem* hîs verbîs ibi: *Si quis omnem Traditionem scriptam, vel non scriptam violat, anathema sit.* Traditionum namq; Ecclesiasticarum eam esse vim, quæ est decretorum ac constitutionum, ex eo patet, quòd verbô an scriptô antiquitus tradantur, nihil intersit. Et liquet ex Lacædemoniis, apud quos leges memoriæ mandabantur, & hac via ad posteros transibant, non minori obligatione quàm leges Atheniensium scripto mandatæ. §. *sine scripto Instit: de Iure natur:* Unde illi qui Traditionibus nihil deferunt, eas tanquam aniles nugas respuentes, in reprobum sensum dati videntur, cùm hac viâ & ipsi Evangelio suam derogent fidem atq; authoritatem, & S. Scripturæ convellant fundamentum ut desuper structam molem collabi sit necesse. Cùm ergo Ecclesiæ & ejus Prælatis obediendum sit, juxta mandatum Christi Luc: 10. *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit,* Matth: 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus,* & cap: 13. *Quæcunq; dixerint vobis, servate & facite,* Rom: 13 *Necessitate subditi estote non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam,* & ibidem: *Qui potestati resistit, Dei*

ordinationi resistit. Ecclesia verò sub anathemate præcipiat servandas esse Traditiones, hoc præceptum obligat ad observantiam Traditionum omnès universaliter, si Traditio sit universalis, sin particularis eos tantùm, qui subsunt loco, ubi ea viget, idq; sub peccato vel mortali, vel veniali pro materiæ gravitate, aut sinè intento. Hinc Nicolaus Papa dedecus abominabile dicit, Traditiones ab Ecclesia receptas pati pro libitu semper errantium infringi; *Can: Ridiculum Dist: 12.*

COROLLARIUM III.

Traditiones purè Apostolicæ ac Ecclesiasticæ disciplinam spectantes, præsertim non habentes authoritatem Divinam, sunt mutabiles.

Ad hánc veritatem comprobandam sequentia Traditionum potiori in parte Apostolicarum jam aliàs abrogatarum occurrunt exempla. *1mò.* Visum est Spiritui S. & Apostolis, ut fideles abstinerent à sanguine & præfocatis carnibus. *Act: 15.* Elegerant nimirum Apostoli rem facilem, in qua cum Isràélitis observanda gentes propter Christum angularem lapidem concordarent. *Sed* ut loquitur S. August: lib: 32. contra Faustum cap· 15. *quis jam hoc Christianus observat, ut turdos vel minutiores aviculas non attingat, nisi quarum sanguis effusus? aut*

leporem non edat, si manu à cervice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris ridentur. 2dò. ex illo Pauli præcepto Rom: 16. *Salutate invicem in osculo pacis:* fluxerat mos ille in primitiva Ecclesia receptus, ut fideles finitîs precibûs, viri viros, ac seorsim fæminæ fæminas se mutuò oscularentur cum hac precatiuncula: *Pax tecum.* Ac tum quidem pudici & unanimes Christiani non dabant nisi sancta oscula, symbola pacis, dum ùt ait S. August: Serm: 83. de diversis: *Quod labia ostenderent, fieret in conscientia* & dum labia unius ad labia alterius accederent, cor unius ab alterius corde non recederet, sed fieret cor unum & anima una. Verùm corruptîs paulatim Christianorum moribûs, ubi osculis per se sanctis immiscuit se libido, fraus & dolus, mos iste sublatus est, osculoq; fraterno successit sacræ tabellæ aut Crucis osculum. *3tiò.* Apostolicæ erant institutionis *Agapes* seu communia illa convivia celebrari solita à fidelibus post Sacramentorum communionem; ut à communione mensæ ac pietate loci ad charitatem accenderentur. Ea convivia sic describit Tertullianus in Apolog: *Editur quantum esurientes capiunt, bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur, ut meminerint etiam per noctem adorandum esse Deum, ita fabulantur, ut qui cogitent Deum audire, quisquis de Sacris Sctipturis aut de proprio ingenio potest, provocatur Deo canere, & hinc*

proba-

probatur quantum biberit &c: At contra illum morem declamarunt Ambrosius & Augustinus, nec acquieverunt Sancti viri, donec fidelibus communes illas mensas, quibûs jam illos abuti videbant, ad ebrietatem, immodestiam & libidinem omninò subtraxerint. At eadem convivia prohibita sunt in Conciliis Laodiceno Can: 28. & Carthaginensi III. Can: 30. *4tò.* Vigilari olim solebat. noctesq; trahebantur insomnes in memoriis Martyrum, idq; juxta disciplinam, ùt credibile est Apostolicam. Exprobranti forte Christianis Vigilantio, quòd cereos in Ecclesia gentilitium in morem accenderent, respondet inter cætera Hieronymus: *ideò fieri ut noctis tenebras hoc solatio comparemus & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* At quia paulatim factum est, ut tenebris pleriq; abuterentur ad opera tenebrarum, maluit Ecclesia dormire noctu innocentes liberos, quàm adeò periculosè vigilare. *5tò.* Horas quas vocant Canonicas populus olim cum Clero promiscuè recitabat, sed cùm propter absonas multorum voces impediretur magìs musica, quàm juvaretur, provisum fuit à Concilio Laodiceno Can: 15. ut taceret in posterum multitudo, ac deligerentur cantores, qui Canonici dicti sunt, sive à canendo, sive quòd recitarent horas Canonicas, hoc est Canonico vel Ecclesiastico jure præscriptas; sive deniq; quòd in tabula quadam sive regula Cantorum nomina scriberentur.

Quæ

Quæ regula duplex erat: una, quâ designabantur ad canendum, altera quâ notabatur acceptum stipendium. *6tò.* Pænitentia illa publica ùt Tertullianus loquitur: *humilificandi hominis disciplina*, viguit in Ecclesia totîs ferè XII, sæculîs, aucto tamen vel imminuto ejus rigore, prout tempora reposcebant. Nunc verò usus ille exolevit, abrogati sunt *Canones Pænitentiales* & amotum ab oculis triste illud ac frequens spectaculum quando apparebant rei conciliciati, concinerati, ad omnium pedes prostrati, omnium vestigia lambentes, omnium genua detinentes, Dei & Ecclesiæ misericordiam deprecantes. Hîs ferè verbîs lugubrem hunc ritum describunt Patres. Ex quibus exemplis patet Traditionem Apostolicam & Ecclesiasticam, morum disciplinam spectantem mutabilem esse. Traditiones verò à Christo Domino immediatè acceptæ, mutationi non subsunt, sed hactenus in Ecclesia Catholica integræ & intactæ perseverant. Nam quod fingunt Novatores de utraq; parte Sacramenti Cænæ Domini omnibus ministranda Christianis, Domini præceptum non est, illudq; *bibite ex eo omnes* ad solos præsentes dirigebatur. Ritus autem & cæremoniæ Sacramentorum, aliaq; quæ Sacramentis accidunt, nec ad illorum substantiam pertinent, à Christo Institutore non sunt, sed Ecclesiæ potestati ac determinationi relicta, quare pro loco & tempore variari possuur.

COROL-

COROLLARIUM IV.

Sunt certæ in Ecclesia Regulæ, quibus Traditiones Divinæ ab Apostolicis, & Apostolicæ ab Ecclesiasticis discernantur.

Ad indagandum Traditiones cujus sint authoritatis, Divinæ an humanæ? Apostolicæ vel Ecclesiasticæ? Theologi cum Bellarmino sequentes præscribunt regulas. *1mo.* Si quid universa Ecclesia tanquam fidei dogma amplectatur, quod nonnisi solus Deus potuit constituere, & si scriptum illud non sit, descendit tamen ex Traditione Divina. Ratio hujus Regulæ est: quia cum universa Ecclesia errare non possit in fide, quidquid tanquam de fide credendum proponit, id certissimè à Deo revelatum est. Traditur hæc Regula ab Irenæo lib: 3. adversùs hæreses cap: 2. à Tertulliano lib: de Præscript cap: 28, *2do. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica authoritate traditum, rectissimè creditur.* Desumpta est hæc regula ex S. Augustino lib: 4. de Baptismo contra Donatistas cap: 24. hujusq; regulæ aperta ratio est, quoniam vetusta consuetudo, cujus initium non invenimus, ad Apostolorum usq; tempora debet referri. *3tio.* Doctrina, quam Ecclesia universa quovis sæculo propugnavit, aut si in

aliqua

aliqua particulari Ecclesia eam viguisse non constet, perpetuò tamen servata est in Ecclesiis præcipuis, atq; Apostolicis, ex Christi aut Apostolorum Traditione manavit. Desumpta hæc regula ex S. Irenæo loc: cit: ac ex S. Vincentio Lirinensi *cap*: 2. *Commonitorii* & patet: Nam dum servamus antiqua dogmata Ecclesiarum Apostolicarum, ab his sensibus nullatenus recedimus, quos majores ac Patres nostros habuisse comperimus. *4to.* Si uno ore viri Ecclesiastici testentur dogmata aut consuetudinem ab Apostolis derivâsse, aut contrarium asserentes tanquam hæreticos reprobent; Divinæ, aut Apostolicæ Traditionis certum est argumentum: Ita docent Patres septimæ Synodi Act: 6. quod & rationi consentaneum est; quia dum adhæremus Doctoribus Ecclesiasticis, & disjungimur ab hæreticis, sequimur spiritum veritatis, rejicimusq; Pseudoprophetas, hominesq; mendaces. Ita *Melchior Canus.* Contra verò Traditio Divina aut Apostolica non est censenda, si non ab universa Ecclesia servetur, sed vigeat duntaxat in aliqua particulari; si perantiqua non sit, ejusque institutionis designetur origo; si à perpaucis licet antiquis Scriptoribus commemoretur, sed repugnent alii numero doctrina, & authoritate præcipui; si denique viri Ecclesiastici & Apostolica præsertim Ecclesia tanquam novellam adinventionem illam repudient. Hæ ergo regulæ sunt certissimæ viæ &

rationes

rationes, quibus authoritas Traditionum discernitur.

COROLLARIUM V.

In Traditionibus major est vis ad confutandos hæreticos, quàm in Scriptura.

Latens & occulta quædam vivæ vocis energia tanta est, (utor verbis S. Hieronymi ad Paulinam) *ut in aures discipuli de authoris ore transfusa, fortiùs sonet*, sitq; efficacior ad persuadendum & convincendum. Viva enim voce cum sono verborum traditur simul verus sensus verbi Dei, qui in membranis non ita exprimi potuit, & licèt expressus sit, tamen verba argumentum præbent ad variam intelligentiam fingendam ab illis, qui Spiritui Sanctó resistere & authoritati Ecclesiæ obluctari decreverunt, Unde S. Ignatius Martyr apud Eusebium ea maximè ratione docet, hæreticorum vitari contagia, si diligentiùs ac tenaciùs Apostolorum Traditionibus inhæreatur. Tertullianus quoq; omnem ferè cum hæreticis disputationem, ad Traditionem à majoribus acceptam, esse omnino referendam præclarè docet: lib: de præscript: quia ùt ait: cap: 17. *Hæresis non recipit quasdam Scripturas, & si quas recipit non recipit integras, adjectionibus & detractionibus ad dispositionem instituti sui intervertit, & si aliquatenus integras præstat, nihilominùs dispersas expositiones commentis convertit.* Scripturæ in varios sensus detorqueri possunt, Traditiones non item. Hoc clypeo

instructus S. Irenæus Florinum blasphemè asserentem Deum esse authorem peccati, oppugnans in Epistola ad eundem de Monarchia, seu quòd Deus naturâ suâ sanctissimus non sit conditor seu causa malorum, inquit: *Hæc dogmata Florine non sunt sacræ doctrinæ, hæc dogmata dissentiunt ab Ecclesia, & in maximam impietatem eos conjiciunt, qui illis assentiuntur, hæc dogmata hi, qui ante nos vixerunt Presbyteri, qui etiam Apostolorum Discipuli extiterant, nequaquam tibi tradiderunt.* Ubi S. Irenæus ex duplici præsertim capite Florinum arguit impietatis. *1mò* quòd ejus dogmata dissentiant ab Ecclesia. *2dò.* quòd aliena sint à Traditione. Quòd autem non loquatur de Traditionibus scriptis, constat ex his, quæ Florinum arguens, subjungit: *Vidi enim te cùm adhuc puer essem, in inferiori Asia, apud Polycarpum, Hæc ego* (scilicet: quæ dicebat D. Polycarpus) *audita à Christi discipulis, divina mihi largiente clementia, tunc studiosus audiebam, non in charta: sed in corde meo audita describens eademq; per Dei gratiam assiduè repeto & revolvo.* Cùm ergo hæretici Scripturas ad varios pro suo libitu sensus soleant detorquere, efficaciùs contra perfidiam eorum procedi nequit, quàm Traditione sensum Scripturæ aperiente.

CON-

CONCLUSIO III.

Traditiones plurimùm conducunt ad eruendum verum & genuinum Scripturæ ſenſum.

Fundatur præſens Aſſertio in verbis Concilii Tridentini quod Seſs: 4. ſic habet: *Præterea ad coërcenda petulantiâ ingenia decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus torquens, contra eum ſensum quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſensu & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consenſum Patrum ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.* Et probatur ex conſtanti Eccleſiæ uſu, quæ primô ſæculô damnavit Cerinthum jactitantem ſe privatas revelationes ab Angelo accipere, & ſecundô ſæculô Montanum: *Eo quòd* inquit Euſebius lib: 5. Hiſt: cap: 15. *contrà, quàm Eccleſiæ consvetudo cùm Traditione tum ſucceßione antiquitùs ab Apoſtolorum temporibus eousq́ derivata poſtulabat, prophetare incepisset.* S. Auguſtinus Prologô in doctrinam Chriſtianam probat falſam & perniciosam eſſe illam cogitationem, omnes homines à Deo ſine opera hominum accipere intelligentiam Scripturarum, Rufinus quoq; hiſt: lib: 4. cap: 9. refert Sanctos Ba-

silium & Gregorium Nazianzenum per tredecem annos operam dedisse studiis sacrarum literarum, *Illarum Sententias non ex proprio ingenio, sed ex majorum Traditione & authoritate interpretantes.* Et Vincentius Lyrinensis cap: 38. Commonitori tradit hanc regulam interpretandi Scripturas à Patribus usq; ad suam ætatem servatam inquiens: *Si Divinis eloquiis, sententiis, promissionibûs & diabolus & discipuli ejus utuntur quid facient Catholici omnes, & matris Ecclesiæ filii? quonammodo in Scripturis Sacris veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnoperè curabunt, quod in principio Commonitorii istius Sanctos & doctos viros nobis tradidisse scripsimus, ut Divinum Canonem secundùm universalis Ecclesiæ Traditiones & juxta Catholici dogmatis regulas interpretentur.* Assistit quoq; Conclusionis veritati ratio Theologica. Cùm enim aliqua & quidem non pauca, quæ ad fidem, mores & disciplinam fidelium pertinent, in Sacra Scriptura vel non sint ullomodo, vel etiam non sint clarè & apertè, oportuit vel eorum Sacræ Scripturæ locorum in quibus hæc latent, sensus recludi, vel certè clariùs enuntiari & edici. Quod totum factum est, ac toties fit, quoties necessitas exigit, per Traditionem; quæ propterea *Scripturæ clavis* dicitur, quòd vel illam aperit, vel quæ in ipsa sunt abscondita involutè, apertè explicatèq; proponit. Hæc autem clavis, quemadmodum olim tradita est, Moysi à Deo,

de illaq; est illud Luc: 11. v. 52. *Væ vobis legis peritis, quia tulistis clavem scientiæ Dei, ipsi non introîstis, & eos qui introibant, prohibuistis.* sic à Christo tradita est Apostolis Luc: 21. v. 45: Act: 1. v. 3.

COROLLARIUM I.

Scriptura Sacra aliquando obscurè tradit ea, quæ sunt ad salutem necessaria.

Adversùs hanc veritatem Protestantes quasi uno ore docent Scripturam Sacram claram esse in rebus ad salutem necessariis, nempe ubi tractat de Deo uno, trino de Incarnatione & de Fide justificante, licèt in iis rebus sit obscura, quæ sinè dispendio salutis ignorari possunt, ùt descriptio Templi Ezechielis & Prophetia Apocalypsis. Contra quos probatur Corollarium nonnullîs textibûs valdè obscurîs nec per alios elucidandîs. Primus habetur Matth: 5. x. 52. *Omnis qui dimiserit uxorem suam exceptâ fornicationis causâ, facit eam mœchari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* locus ille, quamvis ad fidem & ad mores pertinens, est valde difficilis, videturq; favere Græcorum errori qui docent, licere viro aliam uxorem accipere, cùm prior adhuc superstes, rea adulterii convincitur. Nec dicant adversarii hanc obscuritatem & hanc difficultatem tolli Marc: 10, v. 11. & 13. Ubi Christus absq; exceptione prohibet, secundam uxorem ducere, quamdiu prima vixerit. Nam Christus apud Marcum mi-

nùs

nùs se èxplicat, quàm apud Matthæum: laudato quippe textu Matthæi, docet fornicationem esse justam causam dimittendi uxorem, quod apud Marcum sub silentio prætermittit. Inquiunt ergo Græci, sicut ex textu Marci colligi non potest, non licere etiam in causa fornicationis dimittere uxorem, ita rectè non infertur in eadem causa prohibitum esse aliam ducere. Unde sequitur hanc difficultatem non solvi nisi Traditione. Secundus locus petitur ex eodem Capite Math: 5. v. 34. *Ego autem dico Vobis non jurare omninò.* Non potest esse locus expressior (inquiunt Anabaptistæ) ad probandum omne juramentum prohibitum esse Christianis, nec sine periculo æternæ damnationis posse exigi aut reddi. Tertius legitur 1. Cor. 7. v. 14. *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* Hæc sanè obscurè scripta sunt, quis enim absq; interprete intelligat, quo sensu Apostolus scribere potuerit, virum infidelem & ejus filios esse sanctos, per mulierē fidelem? si ex hoc textu colligitur, ùt contendunt Pseudoreformati filios mulieris fidelis salvari posse sine Baptismo, ergo & Pater eorum, quamvis infidelis: de illo enim Apostolus æquè ac de filiis pronuntiat, quòd sancti sint per mulierem fidelem. Quartus locus depromitur ex Epist: ad Ephes, c. 5. v. 32. Ubi Apostolus

postolus, postquàm egit de unione Christi cum Ecclesia & de vinculo Matrimonii in hæc verba prorumpit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Seclusa autem Traditione, obscurum est & prorsus incertum, an Apostolus in his verbis intelligendus sit de unione Christi cum Ecclesia, vel de signo mirabilis hujusce unionis, nimirùm de matrimonio, possitq; prædicari absq; periculo salutis matrimonium esse magnum Sacramentum. Ex quibus patet Scripturam obscuram esse, etiam ubi tractat de rebus ad salutem necessariis. Vnde S. Augustinus lib. 2. de Doct. Christiana Cap. 6. ait: *Multîs & multiplicibûs obscuritatibûs & ambiguitatibûs decipiuntur, qui temerè legunt aliud pro alio sentientes; quibusdàm autem locis quid vel falsò suspicentur, non inveniunt; ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitus, esse non dubito, ad edomandam labore superbiam & intellectum à fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumq; vilescunt.*

COROLLARIUM II.

Neque piis, prædestinatis, fidelibus, attentè & sine pravo affectu legentibus pervius est Sacræ Scripturæ sensus sine Traditionis adminiculo.

Effugium adversariorum est, dum premuntur argumentîs obscuritatem Scripturæ etiam in rebus

bus ad salutem necessariis evincentibûs, eam obscuritatem ad impios, infideles ac reprobos restringere. Sed ejusmodi effugium sequenti exploditur argumento: Nam David Propheta, Sancti Apostoli, SS. Patres Basilius, Gregorius Nazianzenus, Hieronymus, Augustinus &c. utiq; fuerunt homines pii, fideles, prædestinati, attentè & sine pravo affectu Scripturam tractantes. At etiam isti experti sunt difficultatem in intelligendis Scripturis; consequenter non fuit ipsis S. Scriptura ubiq; clara & perspicua. Sic David sæpè petiit lumen à Deo ad intelligentiam Scripturarum Psal. 118. *Revela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum & scrutabor legem tuam. Faciem tuam illumina super servum tuum & doce me justificationes tuas.* Apostolis, teste D. Luca Cap. 24. v. 45. *Christus aperuit sensum, ut intelligerent Scripturas.* Sancti Patres summo cum labore conati sunt assequi Scripturæ arcana, & in suis Commentariis populo explicare. Sic testatur Rufinus lib: 11. Hist. Cap. 9. de S. Basilio & Gregorio Nazianzeno. *Ambo Nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo Collegæ per annos 13. solis Divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumq; intelligentiam non ex propria præsumptione, sed ex Majorum scriptis & authoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constabat.* S. Hieronymus Præfat. Comment. in Epist. ad Ephes. fatetur *se Alexan-*

drian

driam perrexisse, ut à Dydimo quæ in Scripturis habebat dubia sciscitaretur. Et Epist: ad Algasiam q. 8. inquit: *Omnis Epistola ad Romanos nimiûs obscuritatibûs involuta est.* S. August: Ep: 119. cap: 21. ingenuè confitetur: *In ipsis Sacris Scripturis multò plura nescio, quàm scio.* Quibûs certè opus non habuissent, si ipsis utpotè fidelibus & prædestinatis Scriptura clara & plana fuisset. Accedit præterea ratio: Nam incertum est, qui nam ex iis, qui Scripturam legunt & diversimodè interpretantur, sint verè fideles & prædestinati, qui nam sint magìs probi, docti, magìs reverenter & attentè legentes, incertum etiam est, quinam ritè intelligant. Igitur cùm plures dicunt sibi Scripturam esse claram & perspicuam, *vg.* Protestantes, Reformati, Anabaptistæ & cæteri, licèt eam diversimodè, sibi invicem contradicendo in multis, intelligant, falsum dicunt: nam Scriptura non potest clarè opposita docere. Deinde singuli reliquos omnes sine sufficienti ratione damnant, impietatis, imperisiæ, infidelitàtis, imò quod prorsus temerarium est: reprobationis, cùm reprobatio penitus lateat.

COROLLARIUM III.

Spiritus Sanctus cuilibet etiam prædestinato immediatè non revelat verum Scripturæ Sacræ sensum.

Cõntrarium sentiunt Novatores, sed adversùs eos militant sequentia *1mò*. ex Scriptura Malach: 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus quia Angelus Domini Exercituum est* id est nuntius & interpres mandatorum ejus. Sic per Moysen notas fecit voluntates suas filiis Israël. Sic Christus ipse S. Paulum recens conversum misit ad Ananiam, qui eum doceret: Act: 9. & Angelus Cornelium ad S. Petrum *Act*: *10*. Quid ita? quia ex Apostolo ad Corint: 2. cap: 11. *Sæpe satanas transfigurat se in Angelum lucis.* Ne itaq; circumveniamur à satana, simusq; sapientes in oculis nostris, Deus voluit fidem esse ex auditu. Ad Rom: 10. & propterea ad Ephes: 4to. *Dedit quosdam quidem Apostolos - - alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi - - Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Quibûs Apostoli verbîs luculentius nihil potuit dici contra Spiritum privatum. Militant *2dò*. sequentes rationes: *1mò*. quòd hæc doctrina pugnet contra consuetudinem omnium veterum, qui hactenus sensum Scripturarum ex Traditione haurire & propugnare soliti sunt, ùt supra jam ostensum. *2dò*. Viam aperit Schismatibus omneq; medium tollit, quô nata extingui possint. Si enim ùt docent adversarii, privatus quisq; sal-

tem

tem prædestinatus percipit verum Scripturæ sensum, constituiturq; judex controversiarum, quæ circa fidem oriri possunt, ita: ut Pastorum definitionibus adhærere non debeat? nisi id ipsum, quod illi credendum proponunt, sibi immediatè per suum Spiritum privatum revelatum fuerit? si inquam hujusmodi impietas prævaleat, quæ pax, quæ societas? An non Socinianus, Calvinianus, Anabaptista & quivis sectarius ex certa fiducia quòd sit prædestinatus, somnia cordis sui effutiet tanquam Dei revelationes? Quis verò modus, quæ vé ratio compescendi illos fanaticos, cùm incerta illis sint Pastorum judicia, nihilq; pro verò habeant, nisi quod suo Spiritu privato tale judicaverint? Potuitné excogitari quid pestilentiùs ejusmodi privato Spiritu? certè nihil.

COROLLARIUM IV.

Scientia linguarum ad attingendum à Spiritu Sancto intentum Sacræ Scripturæ sensum non est sufficiens.

Minimè negari potest, quòd scientia linguarum præsertim Hebraicæ & Græcæ ad scrutandum Scripturas earumq; sensum multùm conferat, nam collatio Hebraici Græciq; textus cum Latina vel quavis alia versione persæpè magnam affert lucem iis, quæ ab Interpretibus obscuriùs alicubi translata sunt, vel quòd aliter legerint nonnunquam in Exem-

pluribus, quibûs utebantur in versionibus, quàm ea nunc habeant: vel quòd etiam genuinam Græcæ Hebraicæq; linguæ phrasim, & idioma non satis feliciter suo sermone expresserint. Nemo tamen hactenus tam arrogans literator sibi sumpsit, ut omnia in speciem pugnantia Divinarum Scripturarum testimonia conciliare, tropos multiplices & obscurissimos evolvere, phrases hebraicas in Sacris literis, nostris inaudita proverbia, parabolas peregrinas, translationes etiam longissimè petitas explanare infallibili criterio valeant. Concedatur interim, quòd Lutherus vel aliquis omnem & perfectam linguarum notitiam habeat, an propterea suo legitimo sensu intelligere poterit ea, quæ *sibi reservavit Spiritus?* (verba sunt Lutheri) quod eo teste nec ipse, nec ullus adhuc *præstare potuit Sanctissimorum & doctissimorum, idest Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere & docere. - - Multa reservavit sibi Spiritus, quò nos semper Discipulos habeat, multa solùm ostendit, ut alliciat, multa tradit, ut afficiat.* Et infra *scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri unum Scripturæ librum in omnibus à se intellectum.* Quis ergo sibi arrogare poterit se intelligere eas res, in quibus juxta S. Augustinum Epist: 3. ad Volusiam. *Latet altitudo Sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet.* Cùm consummave-

maverit *homo tunc incipit.* Et ſanè ſi linguarum peritia ſufficiat ad certam Scripturarum intelligentiam, unde ergo provenit, quòd tam prodigiosè variam hæc quatuor ſimpliciſſima Cænæ Domini verba: *hoc eſt Corpus meum*, pepererint expoſitionem? quod in clariſſima hac ſententia contigit, quis dubitat idem in alia, quæ non æquè clara eſt, contingere poſſe? Jam verò ſi cuiq; liceat ex ſuo ingenio Scripturas interpretari, unde conſtabit hujusné aut illius intelligentia vera ſit: omnes enim, quotquot unquam fuerunt hæretici, qui de Scripturæ ſenſu, vel inter ſe, vel contra Eccleſiam Catholicam acerrimè diſputant, vel diſputaverunt, *omnes* inquam *tument, omnes ſcientiam pollicentur* (inquit Tertullianus) *ex ſuo quisq; orbis angulo vociferatur, meus eſt Scripturæ ſensus.* Cùm autem unicus ſit verus Scripturæ ſenſus, ab omnibus haberi nequit, qui ſunt diviſi partibus & ſententiis: varietatem enim veritas, quæ unica eſt & ſimplex, non recipit. Ac revera ridiculi ſunt ſectarii, quorum ſinguli etiam inter ſe contrarii poſtulant, ut ipſis ſacras literas interpretantibus ac novo quodam ac mirabili modo exponentibus, fides adhibeatur, qui præſtantiſſimis Patribus præſertim Græcis fidem denegant. Si enim linguarum notitia, ùt illi volunt, abſolutiſſimum ad Scripturas intelligendas medium, quomodo perſuadebunt exactiorem ſe Græcæ ſaltem linguæ (quâ novum Teſtamentum deſcriptum tenemus) cogni-

tionem

tionem adeptos, quàm Athanasium, Basilium, Chrysostomum, Nazianzenum &c: qui linguæ hujus notitiam à nutrice cum lacte sumpserunt? Itaq; si linguarum peritis in Sctipturarum interpretatione credendum est, cur non potiùs illorum Patrum illustrissimorum, cæterorumq; Græcorum in novum Testamentum græcè scriptum commentariis fidem adhibebimus, quàm Germanorum, Anglorum &c: obscurissimorum prædicantium & ministrorum tenebricosis glossematibus? *Ita Brocardus.*

COROLLARIUM V.

Neque ex collatione locorum sive textuum inter se verus Scripturæ sensus semper & in omnibus certò haberi potest.

Adversarii docent unum Scripturæ locum obscuritate aliqua involutum per alterius eidem respondentis collationem evadere clarum, stabiliuntque suam assertionem authoritate S. Augustini ex lib: 2. de doctr: Christ: cap: 6. ubi ait: *Magnificè & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret, nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiatur.* Sed id contra manifestam experientiam asseritur ab adversariis. Certè si cuivis Scripturæ loco obscuro respondet semper alius locus clarus, & clarè

& clarè pronuntians ſententiam, cur ipſimet circa plures fidei articulos etiam fundamentales æternùm inter ſe digladiantur? cur non confugiunt ad clara illa Scripturæ loca, in quibus ajunt clarè pronuntiari ſententiam? ejusmodi enim adhibitô mediô, ſi verum eſſet, deberent in unum convenire & unum ſentire. Prætere a multæ fuerunt, & etiam nunc ſunt, controverſiæ fidei, quarum in Scriptura nulla fit mentio, v g. quòd Pater ſit *ingenitus*, quòd Filius ſit Patri *Conſubſtantialis*, quòd quatuor ſint Evangelia & non plura, quòd *duo* vel *tria* ùt ipſi volunt, ſint *Sacramenta*, quòd parvuli ſint baptizandi &c: &c: de quibus jam ſupra dictum. S. Auguſtinus in patrocinium perditæ cauſæ temerè vocatur cùm addat verbis à ſe prolatis particulam: *ferè*. Licèt namq; per collationem locorum poſſit in aliquibus veritas haberi, non tamen in omnibus, cùm quædam reperiantur obſcuriſſima, quæ nunquam in tota Scriptura explicantur, ùt magna pars Apocalypſis, principium & finis Ezechielis. Deinde id ipſum difficile eſt, invenire nimirum hoc, quod uno loco obſcurè dicitur, ubi nam apertè dicatur? Alioqui quomodo diceret Auguſt: Epiſt: 119. cap: 21. ſe plura neſcire in ſacris literis, quàm ſcire. Deniq; illa etiam loca quæ nobis videntur apertiſſima, aliis videntur obſcura. Non ergo collatio locorum Scripturæ in omnibus controverſiis pandit Scripturæ ſenſum excluſa Ttaditione.

CON-

CONCLUSIO IV.

Traditiones necessariò admittendæ sunt in Ecclesia tanquam Regula Fidei & morum.

Quamvis necessitas admittendarum in Ecclesia Traditionum facilì negotiô exinde colligi valeat, quòd multa dogmata in S. literis aut nullatenus, aut non satis clarè contenta, per solam Traditionem Fide Divina credamus, quòd germanum & à Spiritu S. intentum Scripturæ in multis abstrusæ & perplexæ sensum non aliunde certiùs, quàm ex Traditione venemur, ùt dictum supra, nihilominus tamen ad magìs declarandam Catholicam veritatem, reassumo in argumentum textus Scripturæ & sententias tam ex veteri, in Conclusione I. quàm ex novo Testamento in Conclusione II. recitatas. Perperam enim Sacri illi Scriptores Traditiones Divinas tantô studiô commendâssent, nisi easdem omninò ad tuendam veram Religionem, ad dirigendos in via salutis fideles, necessarias reputâssent. Frustra Apostolus Timotheum suum tanto fervore ad easdem conservandas adhortatus fuisset, ni eas ad fidem Christianam stabiliendam necessarias censuisset. Utitur ad Thessalonicenses modô imperativô, *Tenete Traditiones* & eo ipso eis intimat præceptum, quod ipse modus loquendi importat. Laudat Corinthios, quòd tradita præcepta servent: *Laudo vos, quòd per omnia memores mei estis*

& sicut

& ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 1. ad Corinth: 11. v. 2. At præcepta neceſſariò ſervanda, nec ſine diſpendio ſalutis contemni poſſunt, ait quippe Chriſtus Matth: 19. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Unanimis hac in re Patrum tam Græcorum quàm Latinorum conſenſus eſt, ex quorum innumeris pænè locis quædam duntaxat præter ſuperiùs laudata referuntur. Origenes apud Euſebium Hiſt: lib: 6. cap. 25. inquit: *Ex Traditione accepi de quatuor Evangeliis, quæ sola in universa Dei Eccleſia citra controverſiam admittuntur.* S. Irenæus lib: 3. cap: 2. docet: *Hæreticos non poſſe convinci ex Scripturis.* & cap: 4. Non aliam eſſe viam perveniendi ad veritatem, quàm conſulendo Eccleſias, in quibus eſt ſucceſſio Epiſcoporum ab Apoſtolis, & conſiderando quid ibi doceatur, & quam dicunt illæ Eccleſiæ Traditionem Apoſtolicam. S. Epiphanius Hæres: 61. inquit: *Oportet & Traditione uti: non enim omnia à Scriptura accipi poſſunt.* Ex Latinis Tertullianus lib: de Præſcript: cap: 17. & ſeq: totus eſt in probanda Traditione adverſùs hæreticos, quodq; ipſa ad convincendos & confutandos fortior ſit, quàm Scriptura, imò tuetur omnem ferè hæreticorum diſputationem ad Traditiones à majoribus acceptas eſſe referendam, atq; ex Scriptura ſine Traditione vix ullum contra Hæreticos commodum eſſe ſperandum, inquit enim: *Quid promovebis exercitatiſſimè Scripturarum, cùm ſi quid*

defenderis, negetur? aut si quid negaveris, defendetur? & tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. Ergo concludit: *non ad Scripturas provocandum est, sed ad Ecclesiam Traditionum depositariam confugiendum, ut inde veritas eruatur.* Et lib: 4. adversùs Marcionem cap: 5. *Id verius, quod prius, id prius, quod est ab initio; ab initio, quod ab Apostolis, pariter utiq; constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.* Item ibidem cap: 2. ait: *Si sub ipsius Pauli nomine Evangelium Marcion intulisset, non sufficeret ad fidem singularitas instrumenti destituta patrociniô antecessorum.* Censet ergo Tertullianus necessariam esse omnino Traditionem ad probandam genuinam Sacram Scripturam. Idem sentit S. Augustinus serm: 191. de Tempore. *Novum* inquit: *& Vetus Testamentum recipimus in illo librorum numero quē Ecclesiæ Catholicæ tradit authoritas.* Ex prædictis itaq; argumentis tam ab authoritate Scripturæ, quàm SS. Patrum assumptis, luculenter evincitur necessitas admittendarum Traditionum.

COROLLARIUM I.

Traditio in Ecclesia tam est necessaria quàm ipsa Scriptura.

Cùm Traditio æquè sit regula dogmatum eorum, quæ in sacris literis aut absolutè non continentur,

nentur, aut non satìs clarè & apertè inde deducantur sicut est Scriptura, regula eorum, quæ in se complectitur; hinc est, quòd utriusq; par necessitas agnosci debeat. Sancti quoq; Patres universas ferè hæreses non tantùm Scripturis, sed etiam Traditione jugulârunt. Sic Origenes: non alio jaculo Celsum confodit, quàm Ecclesiastica Traditione. *Nos inquit*: Tract: 20. in Matth: *illis credere non debemus, nec exire à prima & Ecclesiastica Traditione, nec aliter credere, nisi quemadmodùm per successionem Ecclesiæ Dei tradiderunt nobis.* Imò S. Basilius lib: de Spiritu S. cap: 27. & 29. videtur sentire, quòd sublatîs Traditionibûs, etiam ipsas Scripturas tolli necesse sit; sic enim ait: *Si consvetudines & Traditiones tanquam non multùm habentes momenti conemur rejicere, quia scripto proditæ non sint, necesse erit multa damnare, multa rejicere, multa abolere, plura tollere, quæ in Evangeliis necessaria ad salutem habentur & continentur, imò ipsam fidei prædicationem totamq; Religionis Christianæ formam ad exiguas rerum angustias, & ad nudum nomen redigere & contrahere.*

COROLLARIUM II.

Traditio Scripturæ addita non sufficit ad terminandas omnes controversias, quæ de Fide & moribus esse possunt.

Scriptura namq; cùm Traditione est quidem plena & perfecta credendi ac vivendi regula secundum se, & in genere Divinæ locutionis, non verò etiam quò ad nos & in genere debitæ approximationis seu propositionis. Primum constat ex eo, siquidem: ut præsens est erga nos Providentia Dei, Scriptura & Traditio duæ illæ sunt viæ, quibûs Divinæ tum revelationes, tum præceptiones, tum prædicationes, ad nos pervenere. Prima quidem verbîs ipsîs, utì sunt ttadita à Deo, altera verò secundùm sententiam; Ecclesia loquitur quidem Deo regente & assistenre; imò etiam movente, at non loquitur Nomine Dei, nec quæ loquitur accepit per se proximè à Deo, quemadmodum Prophetæ & Apostoli, quæ scripserunt aut tradiderunt. Quo fit ut in genere Divinæ locutionis externæ, sive passivè quam vocant ad Fidem & mores præter Scripturam & Traditionem nihil desideretur, sintq; hoc in genere ambæ credendi ac vivendi regula plena ac perfecta secundùm se. Non verò etiam quò ad nos: quod erat alterum. Nam quemadmodum Scriptura, sic & Traditio, ubi ejus divinitas & origo in controversiam vocetur, judex non est ipsamet sui nec pro se respondere potest. Quod enim adversarii dicunt, verbum Dei sive scriptum, sive traditum sit, sui ipsius satis per se fidem facere, tum propria ipsorum experientia refellitur, tum ex Scripturarum & Traditionum natu-

ra; neq; enim sunt omnes ejusmodi; ut Deum authorem tam luculenter præseferant, ut visæ tantùm vel auditæ de se dubitare prudentem neminem sinant. Adhibendum ergo judicium externum, & quidem ut controversia finiatur supremæ authoritatis, cui falsum subesse nequeat; cujusmodi est judicium Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis 1. ad Timoth: 3. v. 15. Consequens igitur est, nec Traditionem Scripturæ additam parem esse terminandis omnibus controversiis, quæ de fide & moribus possunt suboriri. Hinc:

COROLLARIUM III.

Ut Traditiones sint certa fidei & morum regula, seu verbum Dei non scriptum obligans ad aliquid credendum vel faciendum, debet certò ac infallibiliter de illis constare; de illis autem certò ac infallibiliter constat per communem sensum, authoritatem, vel declarationem Ecclesiæ.

Prima pars hujus Asserti ex se clara est, cùm fides debeat esse certissima; certissima autem esse nequeat, nisi motivum infallibile cognoscatur infallibiliter. Altera pars facilè probatur. Universalis namq; Ecclesia propter assistentiam Spiritûs S. à

Salvatore

Salvatore Christo Domino appromissam circa res fidei & morum errare non potest. Dicit enim Christus Matth: 16. v. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Qui locus celeberrimus est, atq; clarissimus, ostenditq; Ecclesiam Christi in rebus fidei & morum proponendis esse infallibilem. Alia autem sensibilis & simul infallibilis authoritas ex qua sufficienter nobis constare possit, præter Ecclesiam, assignabilis non est. Advertendum tamen hìc est non semper requiri expressam & specialem definitionem Papæ vel Concilii generalis, sed sufficere etiam tacitam & generalem declarationem Ecclesiæ, quæ habetur, vel per communem Patrum & fidelium sensum, aliquid pro fidei dogmate, aut pro regula morum habentium, vel ex universali Ecclesiæ praxi.

COROLLARIUM IV.

Cognitio Sacrarum Traditionum inquantum sunt fidei regula & morum Theologo morali est præcipuè necessaria.

Nam ad Theologum moralem credenda & agenda explananda pertinent. Porro moralis Christianæ sanctitas & integritas in præclarorum hominum gestis potissimùm manifestatur. Disposuit inquit S. August: providentia Divina ut: si quæ in

Scri-

Scripturis Divinis ambigua obſcuraq́; apparerent, Sanctorum officiis & heroicis geſtibus luculenta, ſplenderent. Ritus & cæremoniarum diſciplina, & plurima quæ tum ad politiam & ornatum Eccleſiæ Catholicæ, tum ad adminiſtrationem Sacramentorum, pænitentiæ, ac Communionis peragendæ rationem ſpectant, à perenni Traditione manârunt. Quare Theologus moralis in Eccleſiæ diſciplinam tum veterem tum hodiernam incumbere præcipuè neceſsè habet, *ut poſsit omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe, reddere.*

COROLLARIUM V.

Ipſi adverſarii dum inter eos in cauſa Religionis gravia emergunt diſſidia, velint, nolint, ad Traditionum præſidia confugiunt.

Dum enim Anabaptiſtæ novum ex doctrina Lutheri & Calvini invexerunt dogma, parvulis uſu rationis carentibus nihil prodeſſe Baptiſmum, ex quo in Scriptura nullus infantium legitur ab Apoſtolis baptizatus, ſed quotquot ab eis baptizabantur, adulti erant, ac juxta præceptum Chriſti credentes; & parvulorum Baptiſma ex ſola Traditione & Eccleſiæ & Patrum uſu introductum, cui ſtandum non dicebant. Proteſtantes ipſi alioquin Traditionum contra Catholicos oppugnato-

res

res ut Anabaptistas vincerent, ad Traditiones tanquam ad arma validissima confugerunt. Imprimis Lutherus serm: contra Anabaptistas (ùt refert Raymundus lib: 2, cap: 3. n. 5.) ait: *Concedimus in Sacra Scriptura nullum textum expressum esse, ad refutandum Anabaptistarum errorem, ubi scilicet dictum sit baptizandos esse infantes quia credant. Si quis ipsorum nos velit, ut hæc verba ipsi ostendamus, cedimus. Contumacium est Anabaptistarum, non virorum Christianorum tam angustîs nos terminîs circumscribere. Illud satis cuiq; esse debet, quod institutionem Apostolorum sequimur omni tempore in Ecclesia Dei observatam, etiamsi Scriptura id non præcipiat.* Eadem ratione processit Oécolampadius magnæ inter Zwinglianos æstimationis disputans cùm novem Doctoribus Anabaptistarum coram Senatu Basileensi ait: *Eja ostendite nobis quando hæc nova baptizandi forma in Ecclesia recepta sit, neq; enim eam ex vestro vobis capite introducere licet. Nos in hac parte totius Ecclesiæ consensum & consuetudinem monstrabimus:* Cyprianus in Epist: ad Fidum ait: *Parvulorum Baptismi in Carthaginensi Concilio mentionem fuisse factam, non tamen tanquam in dubium vocati, sed quòd nonnulli imitatione Iudæorum ante diem octavum eos non esse baptizandos dicerent: quæ Opinio ab Ecclesia fuit damnata.* Origenes commentariîs in Epist: ad Romanos asserit, consuetudinem hanc infantes baptizandi ab Apostolis descendisse. An fieri potest, ut qui Apostolorum

tempo-

temporibus propinquus fuit, fabulas Ecclesiæ narrare voluerit, tum quàm Ecclesiæ Traditione mendacii convinci posset? S. August: quoq; affirmat morem infantes baptizandi in Ecclesiis semper viguisse. Eodem modo Concilium Millevitanum de Pædobaptismo loquitur non tanquam de re controversa, sed ad refutandum Pelagianum errorem. Quis Oecolampadium ita loquentem audiens aut legens, alienum à Religione Catholica existimaret? Hoc argumenti telo systema Præadamitarum oppugnârunt, quando Isaac Peyrerius vir protunc Reformatæ, ùt ajunt, Religionis fallaci mortalium hominum indulgens ingenio, nec non Novatorum insistens consuetudini, Patrum & Orthodoxorum Conciliorum authoritatem contemnentium, malè feriatam Præadamitarum fabulam in orbem invexit, ex quo visum ipsi fuit, qua ratione Calvinus detrectaverat Traditiones Sanctorum, licere sibi has ac Calvinianas parvi pendere; atq; ita scrutatus in Gentilium historiis fabulosam antiquitatem studuit novitatum adoratoribus venditare, ante Adamum extitisse homines plurimos, hunc verò hebraici duntaxat generis fuisse satorem. Unde cùm Calviniani ipsi non alio argumentorum genere, quàm Traditione veterum oppugnarent Peyrerium, animadvertit nefas esse adversùs traditam à majoribus doctrinam sentire, itaq; occasionem nactus à suis, Calvini sectam valere jussit, Romanam fidem coram Alexandro VII. errorem ejurando amplexus est.



Permissu

Magnifici & Amplissimi Domini

RECTORIS.



